DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS FEARON,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXT. ET NUPER
PRÆSES ANNUUS:
COLLEG. REG. CHIRURG. LONDIN. SOCIUS:
NECNON,
NUPER E CHIRURG. 2DÆ REGIS
SATELL. LEGIONIS.

" *Differre quoque pro natura locorum genera medicinæ; et*
" *aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gal-*
" *lia.*" CELS.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

Frustrà cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Adriæ ;
———— per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum."

HOR. *Carm.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

PRÆTER solitum inter se discrepuerunt medici, de hoc morbo disserentes. E variis, itaque, contrariisque sententiis virorum in re medicâ summâ fide ac laude dignorum, haud faciles excerptu essent eæ quas omnibus aliis liquidò anteferremus. Hanc rem, igitur, aggredientem, si penitùs eandem exequi cuperet, summam modestiam multamque operam in eam conferre oporteret, ne proclivis esset de iis perperàm dijudicare, quæ clarissimis viris dubio fuerunt.

Ut hoc judicandi vitium, (tyronibus profectò commune,) aliquatenùs effugere queam, mihi est in animo ea potissimùm ostendere, quæ ipsi contigit videre; breviterque res obscuras, disputatas perstringere, parùmque ad usum medicum conferentes.

Mihi attamen, morbi historiam suscepturo, confiteri decet, me nunquam in hâc insulâ hoc malum vidisse. Sæpenumerò, autem, apud exercitum in aliis terris bellum gerentem, ad id observandum animum adjunxi.

Nulli propria cœlo dysenteria est; in fervidissimo, autem, plurimùm viget; eodemque lethalior evadit.

Plurima sunt symptomata quibus plerumque afficiuntur hoc morbo correpti. Sequentia verò nunquam abesse conveniunt omnes *. Desidendi, nimirùm, frequentem cupiditatem;

* Solo forsan excepto MACGREGOR, cujus verba sunt: "In the tropical dysentery, tormina and tenesmus occur so rarely, that, in a definition of the disease, I presume they cannot be admitted." *Medical Sketches of the Expedition to Egypt from India*, p. 184.

tem; dejectiones exiguas, aut mucosas aut sanguineas, alvi excrementis sæpissimè vacantes, et cum dolore gravique tenesmo egestas.

His signis patet Dysenteria, sed cum his solis perrarò sese ostendit. Febris semper, ut alii contendunt *, frequentiùs, ut aliis videtur, indicia adsunt.

Admodùm inter se absimilia sunt hujus morbi exempla. Dissident, enim, tam pro ratione febris quâ mala stipantur intestinorum, quàm pro horum ipsorum gradu et diuturnitate. Dissertationis, igitur, sequentis est, ex his varietatibus, de præcipuis quibusdam disserere, et cujusque propriam exponere rationem medendi.

1. *De Formâ Dysenteriæ simpliciori.*—In terris temperatioribus, itemque in iis, paulò licèt

---

* Pringle, *On Diseases of the Army*, part 3, chap. 6.
Cullen's *First Lines of the Practice of Physic*, sect. 1069.
Ejusdem Synop. Nosol. Method. gen. 41.

licèt fervidioribus, ubi mihi hunc morbum vidisse contigit, longè vulgatissima est dysenteriæ simplicior varietas; leni scilicet stipata febre, vel, in quibusdam utique, vix aut ne vix quidem percipiendâ.

Labente, vel finitâ jam, æstate calidissimâ, potissimùm incipit.

Ei præsertim obnoxii sunt milites in stativis victu parciori nutriti, nimio confecti labore, cœloque varianti et frequenter humido objecti.

Aliquandò subitus est morbi accessus; frequentiùs autem tardior mitiorque. Antecedunt, ut plurimùm, languor, cibi fastidium, mens infirmior, aliique affectus * totum hominem implicantes, qui morbis ferè omnibus acutis initio sunt. Cum his conjunguntur flatus, borborygmi, et constipatio. Accedit quoque nonnunquam fœditas oris, cum sapore veluti cupri †. Febris propria aliquandò,

* BAKER, De Catarrho et de Dysenteriâ Lond. apud quem fusior de hâc re sermo est.

† TROTTER, Medic. Naut. vol. i. p. 380.

do *, sed, me judice, rariùs intestinorum torminibus præcurrit. "Ut plurimùm," ait ROEDERER, "incipit ex prægressâ diarrhœâ †." Non eadem est mihi sententia, propriâ experientiâ freto. Diarrhœam copiosam, omni dolore molesto expertem, dysenteriæ originem præbere nonnunquam ‡, sed insolenter conspicimus.

Plurimâ ex parte, prægressis per diem unum alterumve his morbi imminentis indiciis,

---

* PRINGLE, *Army Diseases*, part 3. ch. 6.
HUNTER, *Observations on the Diseases of the Army in Jamaica*, p. 218.
TROTTER, Med. Naut.
CLEGHORN, *On the Diseases of Minorca*, p. 245.
CLARK, *On Diseases prevalent in long Voyages to hot countries*, p. 319.

† De Morbo Mucoso, p. 5.

‡ CLEGHORN, *Diseases of Minorca*, p. 244.
CULLEN, *First Lines*, 1069.
CLARK, *Diseases prevalent in long voyages*, vol. ii. p. 318.
PEMBERTON, *Diseases of the Abdominal Viscera*, p. 136.

ciis, accedunt nausea ; cephalalgia ; pulsus solito concitatior ; dejectiones parcæ, pravæ, frequentes ; tormina, atque tenesmus. Dolores interdum perpetui * sunt, sæpissimè verò remittunt, brevia post intervalla severiùs revertentes. Malum intendunt morbidæ excretiones ; levantur contrà tormina, tenesmus, anxietasque, crebrâ dejiciendi cupiditate cohibitâ.

Per anum ejecta aliquantùm hoc tempore variant. Liquor aquosus, mucus, aut purus, aut sanguinis lineamentis imbutus, aut cum eodem commistus, frequentiùs manant. Fæces alvinæ scybalarum formâ tantùm, itemque in minimâ quantitate, et raro, emittuntur. Notatu dignum existimo excretiones longè a naturalibus dissidere, non facie solùm quin et odore. Enimvero, ineunte malo, sæpissimè omninò abest fœtor ; brevi attamen exhalatur morbo proprius odor putidus, ingratus,

---

* CLEGHORN, p. 245. Pleuriticos hos referre dolores ait.

BAKER. De Cat. et de Dyſent. Lond. p. 19.

gratus, atque in malo provectiori prorsùs omnibus intolerabilis.

Excretiones hæ pravæ, cum aliis comitantibus malis, breviùs longiùsve permanent. Nunc die tertio quartove omninò desinunt; nunc, subitò severiores factæ, formam graviorem, protinùs describendam, induunt; haud rarò, diu perstantes, morbum chronicum constituunt.

Plerumque post horas aliquot, morbus sponte suâ levatur. Dejectiones rariores fiunt; ejecta, stercus naturale referentia, uberiora sunt, imminuuntur quoque dolores. Aliquandò his ita se habentibus, omninò molestiis suis eripitur ægrotus. Requies autem, ut plurimùm, brevissimè perstat: brevi enim redeunt mala, vel naturæ viribus vel arte medicâ, pari levatione, iterum iterumque repetitâ, penitùs demùm tollenda.

Hâc morbi formâ potissimùm affici videntur nostrates *. Apud quos interdum observatum

---

* Pemberton, *Dis. of the Abd. Viscera*, p. 136.
Baker, De Cat. et de Dys. Lond.
Willan, *Reports on Diseases of London.*

vatum fuit malum, signis omnibus gravioribus expers. "Imprimis igitur," ait insignis Akenside, "de dysenteriâ observandum habeo eam perrarò in morbis acutis reponi debere, aut febre ullâ comitatam esse *." "Apud quem vera febris dysenteriam antecederet, aut simul cum eâ decurreret, vix e decem qui eâ laborarent unum observavi †." "Hæc, inquam, solita morbi indoles est, prout ipse observavi, per 5 vel 6 annos, in magnâ dysentericorum frequentiâ quos *Divi Thomæ Nosocomium* perpetuò ferè suppeditabat ‡." Adeò levem molestiam per totius mali decursum rarissimè novi. Haud insolenter autem apud exercitum accedere varietatem leviorem vidi, quæ optimo jure sibi medici attentionem vindicare videtur. Graviori ejusdem morbi accessui plerumque succedit. Mitescentibus febre, torminibus, tenesmo, appetentia cibi, viresque corporis redeunt.

---

* Akenside, De Dysen. Comment. p. 4. & 5.

† Id. ib. p. 9.

‡ Id. ib. p. 10.

deunt. Ægrotus e lecto exsurgens, sanus fermè habetur. Pulsus est attamen sano exilior, languor tum corporis tum animi adest, lingua sitiens subalbida modò, modò naturali reperitur colore. Si hoc tempore abdomini inferiori admoveatur manus, durius hoc, intentumque quodammodò invenitur. Molestiæ, potiùs quàm doloris, sensus pressu excitatur. Vultui ægri, licet minùs extenuato, insident pallor stuporque; ipseque ægrotus hebes, haud raro fatui, aut ebriosi instar, evadit. Rarissimè de intestinorum malis conqueritur. Bis forsan tantummodò quotidie alvus dejicit; ast frequentiores vel levissimis causis fiunt dejectiones, haud parvo comitante dolore. His autem causis amotis, citissimè mala graviora desinunt, revertitque morbi solita indoles. Hæc indoles, ut plurimùm, diutissimè perstat, et plerumque quamvis diuturnior, parum affert marasmi. Si dejectiones, in hoc morbi statu, scrutemur, liquidò eas reapsè dysentericas esse agnoscemus.

In hujus varietatis historiâ plenior fui, quippè quam satis copiosè aut distinctè de-

 scriptam

scriptam nusquam inveni, et plures per castra, primùm idcirco inopinans, subruentem vidi. Haud levis igitur, mihi videtur esse momenti, ut, præsertim apud exercitum, hanc morbi speciem accuratiùs ab aliis discernamus, ab illâ præcipuè intestinorum teneritate quæ semper ferè dysenteriæ graviori succedit * ; atque ne eam susque deque habendam ducamus, imperitèque tractemus. Dysenteriâ enim omninò subactâ, crebræ dejectiones, tormina, itemque tenesmus sæpè incitantur, cibo comeso nimio vel concoctu difficili ; aut frigori subjecto corpore, aut defatigato. Excretiones verò copiosæ, liquidæ, parùm a naturalibus dissident. Ad hanc compescendam, longè diversis opus est remediis ab iis quibus dysenteriæ opitulari conamur ; cùm, itaque, miles, dysenteriam perpessus acutam, diu nosocomium habitat, haud verò decumbens, parùm marcescens, cibum solito ferè modo comedens, et raró de molestiâ quâdam conquerens,

* Copiosè et dilucidè a PRINGLE hæc affectio describitur.

rens, apprimè cautum esse medico decet, ne temerè talem ignavum aut mendacem judicet. Sedulò, et quotidiè, ei oportet excretiones ejus inspicere, ut si adsit morbus discat, et clarè, cùm adest, ejusdem indolem discernat.

Lenior hæc mali chronici varietas miserum sæpissimè longâ valetudine macerat, tandem quasi sponte desitura; interdum lentâ tabe consumit; interdum, accedente aut revertente indole acutâ, brevi demùm extinguit.

2. *De Dysenteriâ graviori.*—In regionibus calidissimis dysenteria frequenter adjungitur typho. Febris sæpiùs affectionem intestinorum antecedere dicitur, nonnunquam citissimè eam subsequi. Ni protinùs obsistatur morbo, vel in tribus aut quatuor diebus præcipitat ægrum. In regionibus temperatis aut frigidioribus, talem morbi indolem haud infrequenter conspicimus. In his verò lentiùs aliquantùm procedit, nec nisi causis maximè ei faventibus accensa, vehementiam unquam attingit summam quàm brevissimè suprà notavi.

tavi. Ubique terrarum plurimis dysenteriâ laborantibus in arctissimum coactis spatium, immunditiâ obsitum, nec aëri patens, dysenteria typhodes brevi incipere solet. Apud nos hoc malo affecti sæpiùs per diem unum alterumve solitis dysenteriæ mitioris signis vexantur; solito majoribus verò anorexiâ et debilitate comitantibus. Typhus vera, deinde, accedit; vires gradatim interdum extenuantur, interdum subitò obruuntur. Magnoperè ventriculus plerumque laborat vomitusque cietur. Fit lingua sæpissimè fœda; dentes, sordibus obductis, ingrescunt. Sitis magna infestat. Cutis, nonnihil calidior, nunc arida est, nunc sudoribus e pectoro vel capite subindè erumpentibus perfusa. Mens magnoperè turbatur. Summi cruciatus intestina exercent, diu perstantes, vel minimis quidem intervallis revertentes. Dejectiones frequentissimæ, ut plurimùm, fiunt, ejectis carnosis quibusdam, cum pessimi odoris cruore: hos inter ejiciendos ægrotum urgens tenesmus excruciat. Ita laborans morte vix abripi potest. Omnia ferè in pejus ruentia, die septimo,

timo, octavo vel nono, delirio, tormentis, singultu, omnibusque pessimis typhi gravioris signis confectus, æger animam efflat.

Hæc utique dysenteriæ forma extrema habenda est. Frequentiùs accidit mali diuturni gravior varietas, quibusdam signis sibi propriis distincta. Hâc corripiuntur nonnunquam speciem mitiorem jam perpessi, nonnunquam malo typhum comitante erepti; febre etenim minutâ vitium intestinorum cum vario exitu aliquando perstat. Haud infrequenter ab ipso morbi initio talia adsunt signa.

Hâc varietate laborans lecto penitùs affigitur, febre affectus valdè perlevibus causis variante. Non modò enim ad eam incitandam, vel augendam, tormina pollent, quin et irritantia levissima, corpori admota debili nimiumque sensili, idem magnoperè incitant. Omnibus his autem ablatis, febris minimè quiescit. Pulsus semper ferè nonagies in horæ sexagesimâ parte moventur. Lingua albida modò, modò fœdior, apparet. Sitis, nausea, cephalalgia, adsunt. Admodum turbatur mens, et fit

fit valdè morosa. Vix unquam intestina vacant dolore; hujus paroxysmi autem magnoperè variant pro ratione gradûs, reditûs, et diuturnitatis. Abdomen, supra pubes potissimùm, haud raró durum ac intentum reperitur; dolet quidem contrectatum *; haud æquè veró manum admotam timent dysenterici, ac ii quos enteritis exercet. Excretiones in quibusdam casibus perpetuæ ferè emittuntur: haud insolenter septiès, duodeciès vel usque ad vigesiès quotidie, immani urgente tenesmo, egeruntur. Maximum sæpenumeró testatur vultus angorem. Nullo alio morbo, si solius pneumoniæ excipiantur graviores accessus, solicitudinem et cruciatum adeò tristem vultu indicatos aspexi. Militis cujusdam memini, his tormentis diu vexati, qui sibi ipsi mortem offerre sæpiùs, sed frustrà, tentavit.

* "Venter etiamsi rudi manu contrectatus validiùs non dolet, nec mitiùs eâdem remotâ." Diss. de Dysent. auct. GOEDE, qui STOLL quoque hoc loco laudat. Semper autem, me judice, ventris dolores, eodem tumente, tactu vel leviori aliquantùm augentur.

vit. Egesta admodum diversa sunt. Ex muco potissimùm, sanguini admisto, constant. Carnosa quædam variæ molis, materies membranis intestinorum abrasis consimilis; corpora arvinam vel caseum referentia, et cruor pessimo odore, putridus, niger, frequenter descendunt. Nonnunquam per os vel per anum emittuntur lumbrici *. Sanguis etiam integer, quod mihi, sed in uno tantùm ægroto, contigit videre, aliquandò effusiùs erumpit. Pus sincerum aliquando excerni probabiliùs esse placet CULLENO. De hujus egestione, dysenteriâ verâ perstante, non penes me est decernere. Tale excretum haud unquam aspexi; fatendum est autem, me nunquam accuratiùs alvi excrementa, tam ob fœditatem, quàm ob pericula inde timenda dissuasum, introspexisse. Veruntamen ad dysentericorum cadavera incidenda sæpè animum adverti; nec

---

* MONRO, *Account of Diseases prevalent in the British Military Hospital in Germany*, p. 62.

HUXHAM, de Aere, tom. ii. p. 98.

nec inflammationi purulentæ unquam similis quidquam detexi. Non me quidem latet, dysenteriam frequenter subsequi intestinorum mala, exulcerationi purulentæ jure tribuenda. Itemque hodiè benè compertum esse scio, in ipsius morbi decursu ulcera quædam frequenter formari. Utrùm enimverò hæc reapsè dysenteriæ semper sint propria, ulcera an simplicia interdum omninò referant, ad statuendum sum impar. Quoniam plerisque hoc malo extinctis accessit gangræna, horum cadavera sola inspicienti haud quidquam fidentiùs dicendum est. Cadavera secta, mortis potiùs quàm mali causas, sæpè ostendunt.

In morbo vetustiori, evenire solet quod quotiescunque ægrotus aliquid aut edat aut potet, extemplò fit dolor abdominis cum egestione; ita ut ægro ipsi videtur statim cibus transire per anum *. Adjiciuntur quoque interdum urethræ vel vesicæ cervicis vitia quædam, dolor nimirùm, urinâ ægrè emissâ, vel

* HUNTER, *Diseases of Jamaica*, p. 222.

vel interdum omninò suppressâ *. His magnoperè intenduntur solicitudines ægri. Ex inflammatione, ad vesicam serpente, a plerisque oriri ducuntur †. Aliter, non rectiùs autem, causam TROTTER exponit. Ex ani procidentiâ, vesicam a situ suo trahente, hoc malum effici arbitratur ‡. Quanquam hujusmodi procidentia sæpissimè accidit, attamen urinam suppressam, vel diutiùs, vidi, cùm parùm aut nihil prorsùs extabat prolapsus. Cæterùm quædam vesicam aut urethram incitan-

* DEGNER, de Dysenteria, p. 18.

BAKER, de Cat. et de Dysent. Lond. p. 21.

† PRINGLE, *Diseases of the Army*. Liceat mihi quoque laudare TICE, qui cadaver incisum describens dysenteriâ extinctum, hæc verba facit: "Vesica urinaria leviter inflammata erat, et solito nonnihil crassior, pari modo ac substantia intestinorum crassiorum quæ fæcibus vacua reperta sunt." Hunc ægrum exercuerunt, "ardor urinæ et interdum ad stranguriam proclivitas." Diss. Med. Inaug. de Dys. p. 7.

‡ Med. Naut. vol. i. p. 382.

tia citra inflammationem, veluti in aliis vitiis *, in hoc quoque urinam supprimere queant.

Per plures hebdomadas plerumque, nonnunquam per menses, hæc morbi forma detinet ægrum, cœlo mutato interdum cessura, interdum arte medicâ compescenda vel sananda, frequenter vires omninò obruendo, exitiales editura effectus.

Summa debilitas et macies, œdema pedum, vultus pallidus, collapsus, pulsus exiles, abnormes, stupor, artus frigescentes, singultus, et ejusdem generis omnia, mortem indicant adstantem.

3. *De Dysenteriâ febre ardente stipatâ.*—Veluti cæteras formas, suprà descriptas, hanc quoque pro varietate habendam duco. Semel solummodò talem accessùm dysenteriæ vidi. Æger, ducis cujusdam pedissequus, quadraginta circiter annos natus, corpore robusto, toroso, pleniori, optimâ valetudine usque ad morbi accessum uti solitus, subitò in castris

* EVERARD HOME, *On Strictures of the Urethra.*

castris in Ægypto de summo ventris dolore, nauseâ, vomitu, et cephalalgiâ conquestus est. Ad medicum statim accedente ægro, pulsus justo celerior inventus est, admodum verò validus, plenus, et durus. Vultus rubuit; oculi quasi tumuerunt. Calorem maximè auctum esse, a manu cuti admotâ, (deerat instrumentum), judicare licuit. Dolores intestinorum excruciaverunt. Dejectiones frequentes ex muco primùm, deinde ex sanie potissimùm, constabant. Remedia extemplò adhibita, sedulòque repetita, nil profuerunt; ne unquam quidem levationis quidquam attulerunt. Summos cruciatus per tres dies subiit miser. Die quarto accesserunt singultus, stupor, sudores frigidi, pulsus exilissimi, facies Hippocratica: his malis, gangrænam planè indicantibus, vesperam versus extinctus periit.

4. *De Dysenteriâ febri intermittenti adjunctâ.*—Sub cœlo fervido, scilicet in utrisque Indiis, plerumque cum febre intermittente vel remittente conjungitur dysenteria. Talem conjunctionem

conjunctionem descripserunt, qui ipsi in iis regionibus viderunt, CLARK *, ROLLO †, HUNTER ‡, TROTTER ||, et CLEGHORN §. In terris temperatioribus, idem aliquando **, rariùs autem, evenire videtur. Hanc varietatem, quippè quæ nunquam meis oculis oblata est, non mihi consilium est describere. Solummodò observandum habeo, dubitari posse an reverà in hisce exemplis febri annectetur dysenteria, a miasmate paludum ortæ, an dysentericus

* *Observations on Diseases prevalent in long Voyages to hot Countries*, vol. ii. p. 321.

† *Observations on the Diseases which appeared in the Army in St Lucia*, p. 65.

‡ *Observations on the Diseases of the Army in Jamaica*, p. 218.

§ Medic. Naut., vol. i. p. 378.

|| *Diseases of Minorca*, p. 246.

** CLARK *on long Voyages*, vol. ii. p. 358.
ROEDERER, de Morbo mucoso, p. 21.

dysentericus vexetur continuâ febre, cœli fervidi vi, quodammodo ad indolem remittentem inclinante, quod quidem et in his * et in aliis terris sæpiùs evenire tradunt periti.

5. *De iis quæ, cadavere inciso, aspiciuntur.*—In cadaveribus sectis intestina ima nunquam, nisi gangrænosa, mihi objecta sunt. In plerisque exemplis, quoque, alii gangrænam observârunt. Quocirca minùs ad morbi naturam et causam et progressum explicandum contulit hæc anatomia, quàm speraverant medici. De affectionis igitur intestinorum ratione, de inflammationis indole, graduve cuivis mali formæ proprio, nondum certâ fide constat inter auctores.

Semotis musculis cum cute abdominis, levato omento, leviter inflammata plerumque apparent intestina quædam tenuiora. Colon spasmodicè hîc illîc contrahitur. Seri, quàm solet, magis in cavo abdominis potissimùm continetur. Recti intestini, et coli inferioris, maximè

* Gregory, Med. Pract. Prof. in Prælect.

maximè crassities augetur. Porrò structura eorum haud parùm mutatur: in recto maximè, in colo inferiore multùm, in parte hujus superiore minùs, hoc obſervatur. Intestina tenuiora internè levi inflammationis rubore, vel interdum ulcerationibus * afficiuntur, frequenter omni vitio vacant. Rectum, colique pars infima, gangrænâ plùs minùs confirmatâ afficiuntur. Ex colluvie nigrâ, fœtidissimâ, inhærente corpori cuidam carnoso, putrescenti confici videntur; intestinorum specie naturali quoad colorem, crassitudinem, structuram, omninò amissâ. Superius colon obscurè rubet. Corpora frequenter in hâc parte observantur, pustulas nonnihil referentia, materiâ caseo simili ferè repleta. Ulcera quoque haud rarò inveniuntur. In terris fervidioribus, jecur ut plurimùm, aliaque abdominis viscera, inflammata, et aliquando pure referta, reperiuntur. Tales mutationes, quæsitas quidem, nunquam detexi †.

6. *De*

---

* Diss. Med. Inaug. auct. TICE, passim.

† Multùm de gangrænâ in hoc morbo accedente dubitat HUNTER insignis. "Sir John Pringle has indeed

6. *De Diagnosi.* — Varietatibus plurimis morbi copiosiùs, ac molesto, vereor, sermone descriptis, non multa necesse est de diagnosi proferre. A *diarrhœâ* excretionum indole et

---

indeed mentioned mortifications, gangrene, and abrasions of the villous coat, none of which I have ever seen; and there is reason to suspect, that the black colour arising from extravasated blood has been taken for mortification or beginning of gangrene." "The learned author acquainted me in his lifetime, that he put but little confidence in any of the dissections made in the military hospitals, as the bowels were not inspected minutely." *Army Diseases of Jamaica*, p. 232. Necessum igitur habeo verba virorum summâ auctoritate contradicentium exscribere: "Upon opening the bodies of the dead, I have constantly found the great guts either entirely mortified, or partly inflamed, partly mortified; the rectum being generally most affected;" CLEGHORN, *Diseases of Minorca*, p. 246. ROEDERER porrò, cadaver incisum describens, hæc verba profert: "Colon dextrum gangrenâ, quin vero sphacelo, depravatum est, minore etiam in gradu colon sinistrum;" De Morbo Mucoso, p. 203. In cadaveribus inspiciendis quæ ipse descripsi, intestinis in situ primùm inspectis, eadem crassiora sejuncta corpore fuerunt, et aquâ probè elota, iterum accuratiùs inspecta. Cadavera autem solummodò graviori morbo extinctorum secavi.

et quantitate differt dysenteria. Insignitur *cholera* felle copiosiùs simul per os et per anum ejecto, plerumque cum spasmis. Dysenteria a *colica* differt dejectionibus crebris; et ab *enteritide* his quoque dejectionibus, remittentibus doloribus, dolore porrò minore admotâ abdomini manu.

7. *De Prognosi*—quoque paucis dicendum esse duco. Synocha ardentior, gravior typhus, immanis dolor, nausea cum frequenti ad vomitum proclivitate, alvus medicamentis purgantibus non respondens, et demùm summa infirmitas, de infelice præmonent eventu. In leniori morbo diuturnius vitium timendum est, si pulsus sit exilis, lingua tremens; et si alvus, aptis remediis datis, parùm iisdem solvatur.

8. *De Dysenteriæ Causis*—Huic malo causis excitantibus sunt cœlum varians, humidum, fervidissimum; nimium laboris; perspiratio subitò impedita; cibus concoctu difficilis; aliaque hujusmodi plurima, quibus corpus

pus tam infirmatur quàm excitatur. An hæc autem sola ad morbum excitandum valeant, diu inter medicos et acriter est disputatum. Ab aliis * enim contagio semper, ab aliis † nunquam causa habetur. Quidam ‡ porrò, longâ experientiâ edocti, morbum nunc a contagione oriri, nunc omninò eâdem vacare ut credant àdducti sunt. E scriptoribus novissimus quidam §, diligentiâ insignis, his contrariis sententiis commotus, scriptis plurimis probè perlectis, rem perscrutari conatus est. Huic, omnibus ritè perpensis, visum est morbum solummodò esse contagiosum cum febre typhode conjunctum. "The proposition which it is my intention to uphold is this: that the simple dysentery, (febre nul-

D lâ

* Clark, "In unhealthy seasons it is generally epidemic, and always contagious," p. 321.
Cullen, *First Lines.* Synops. Nosol. Method.

† Akenside, Moseley, Willan, Stoll.

‡ Pringle, *Army Diseases*, p. 225.
Hillary, *on Barbadoes*, p. 205.

§ Hasty, *on Simple Dysentery and its Combinations*, p. 99.

lâ nempè comitante,) is of itself never contagious, nor the intermittent nor remittent forms of the disease, and that that property originates not in any virus specific to the disease, but in the contagion of fevers *." In promptu est quod ei, qui hanc rem penitùs exequi vellet, ab ovo esset incipiendum. Non nostri est certè inter tantos viros de re dubiâ, difficili, pluribus verbis garrire. Haud abs re fore autem videtur, quædam de contagione generatim paucis proferre, quæ forsan ad litis fundamen indicandum, minimè verò ad eam dijudicandam aliquantùm valeant; et quorum, et maximè ipsorum difficultatis, porrò, meminisse inter agendum, aliquandò haud parùm proderit.

Contagionis

---

* Hasty, p. 99. Eandem sententiam alii anteà ediderunt. "Siquando vim contagiosam manifestavit, (dysenteria), ea, me judice, solùm ad conjunctionem ejus cum febre admodum contagiosâ referenda est." "Concludere igitur, adductus sum, dysenteriam non magis contagiosam esse quàm pneumonia, vel quævis alia affectio inflammatoria, febre typhoidæâ stipata." Tice, Diss. Med. Inaug. 1802, p. 38.

Contagionis febrilis species duæ a quibusdam * recensitæ sunt, quarum dotes certissimè quodammodò absimiles videntur. Harum alia *specifica* audit: alii nondum proprium imponitur nomen. Illa, ut plurimùm, semel tantummodò, hæc pluries, per vitæ decursum, excitat morbum. Illa, non nisi a corpore morbo sibi proprio laborante; hæc, verò, frequenter a plurimis sanis in arctius spatium immundum cohibitis, oriri dicitur. Illa quendam morbo sibi proprio afficiens, per certum temporis spatium eundem vexat; ipsâ contagione semper efflatâ, certisque malis tum totius corporis tum partis cujusvis infestat ægrotum: hæc autem morbum haud rarò efficit, citissimè extinguendum, inter ipsum quidèm mali insultum, loco ad contagionem excernendam minimè dato. Minore demùm illa, hæc majore † vi pollet, diu e corpore egesta,

---

* Fordyce, *First Dissertation on Fever*, p. 130.

† Cullen, *First Lines*, vol. i. p. 125.
Lind *on Fevers and Infection.*

ta, et cuivis rei externæ inhærens. His rebus, aliisque quæ longiore sermone recensere non mihi fas est, adducuntur quidam ut credant contagionem specificam vivi corporis secretionem esse, aliam solummodò materiei putrescentis nocivæ egestionem, quæ nunc fieri, nunc omninò abesse potest.

Nihil certi, profectò, scimus de contagionis naturâ, nec nobis hìc loci, de eâ instituenda est inquisitio. Species diversas, vel saltem de iis quorundam sententias recensui, ut clariùs pateat ejus rei obscuritas de quâ disceptatur. Medici, ut de plurimis rebus solent, de re incertâ, certas opiniones sibi finxerunt, et prout has intra arctiores latioresve limites cohibuerunt, aliter longè de morborum ortu dotibusque statuerunt. Hinc forsan nefanda lis orta est, de typhi pestisque viribus contagiosis. De contagionis varietatibus quicquid judicetur, certâ fide constare videtur, quosdam morbos contagione, corporibus ægris exhalatâ, minimè ortos, admodum aliquando contagiosos fieri. Hoc comprobârunt

runt observata a viris * summâ fide altâque experientiâ edoctis. De hac re disceptantes, rem abhinc quinquaginta circiter annis observatam diverso consilio, et reverà diversè, citârunt. Tali discrepantiâ clarè elucent incuria mensque præoccupata eorum, qui observationes medicas tradunt. "In carcerem," ait CROWTHER †, "apud Calcuttam, octodecim pedum solidorum mensurâ comprimebantur homines centum et quadraginta sex. Illic per horas plures manebant donec suffocatione pars major periisset: nihilominùs surperstites nullum aut ipsi subiêrunt, aut aliis communicârunt morbum contagiosum." E contrario,

---

* CLARK, *Collection of Papers on the subject of Contagion*, p. 61.
GREGORY, Med. Pract. in Ac. Ed. Prof. CLARK, *Coll. of Papers*, p. 58.
GILBERT BLANE. CLARK, *Coll. of Papers*, p. 101.
WILLAN. CLARK'S *Coll. of Papers*, p. 104.
STANGER *on the Means of Suppressing Contagion*, p. 9. & 26.
HAYGARTH, *Letter to* PERCIVAL *on Contagion*, p. 10, 44, & 46.

† De Contagione Humanâ.

trario, sequentibus verbis loquitur alius: "Mr Howel and others, who escaped from the *Black-hole* of Calcutta, were seized with typhus *." Quicquid enimvero de hoc exemplo

---

* Wilson *on Febrile Diseases*, vol. i. p. 407.

Vid. quoque Orme's *History of Indostan*, vol. ii. p. 79.

Smollet's *Hist. of England*, vol. v. ch. 5. § 40.

Haud mihi vitio vertetur, spero, si ipsius Holwell (chirurgi insignis †), de hâc re disputatâ, verba exscribam: "When I came out, I found myself in a high putrid fever, and not being able to stand, threw myself on the wet grass, without the Veranda." "I tried two or three times to speak, but my tongue was dry, and without motion." "We were conveyed to the camp, and there I became covered with large painful boils, the first symptom of my recovery; for until these appeared, the fever did not leave me." "The particulars mentioned by some of the gentlemen who came out with me, were so excessively absurd and contradictory, as to convince me, very few of them retained their senses, or at least, that they lost them soon after they came into the air, by the fever

† *Asiatic Annual Register for* 1799, *Characters*, p. 25.

emplo judicandum sit, certissimè compertum est, genus existere morborum contagiosorum, quod ab hominum frequentiâ ortum suum habet, et cujus forsitan dotes nondum probè perspectæ sunt. Ad hoc genus pertinere videntur *gangræna nosocomialis*, et morbus fortassè de quo sermo est. Certissimè experientia, saltem, docuit dysenteriam, catervis coarctatis, ingravescere, et vi contagiosâ pollere. Hæc scimus, et scire quidem inter artem medicam exercendam, haud parùm proderit. An hæc vis a conjunctione proficiscatur mali intestinalis cum typho, an propria sit cuidam mali ipsius mutationi, nescimus. Ad hanc rem

---

fever they carried out with them*." An hæc signa typhum vel febrem putridam indicent, aliorum sit judicium. Mihi non liquet. Die Junii 21mo liberatus est HOLWELL, die 22do eruperunt phlegmonæ, desiitque febris. Ineunte Julio sequente, podagrâ correptus est. "The other gentlemen likewise broke out in boils all over their bodies; a happy circumstance, which, as I afterwards learned, attended every one who came out of the *Black-hole*†."

* *India Tracts by* JOHN ZEPHANIAH HOLWELL, Esq; F. R. S. p. 403,—407 † Id. ibid.

rem decernendam observata desunt, nec conjectando verum assequi fas est. Non mihi liquet, reverà, dysenteriam simpliciorem omninò contagione vacare, quippè qui historiam a Lind prolatam legi, unde didici dysenteriâ chronicâ per annos duos laborantem, pluribus sanis, eâdem foricâ utentibus, morbum injecisse, qui morbus separatis ægris, grassari desiit. Malum attamen simplicius frequenter hâc vi pollere, tantis contradicentibus viris non audeo dicere.

Dum igitur tantâ caligine hæc res implicatur, medicum proprio suo officio deesse arbitror, qui quidquam prætermittit, quo contagioni, in quavis morbi specie, obstare possit.

9. *De Medendi Ratione.*—Ad hoc vitium sanandum maximè purgantia valent. In malo mitiori, rarissimè, me judice, venam secare oportet. Ni adsit febris aliquantùm severior, extemplò conquerenti danda sunt quædam ex illis medicamentis, quibus alvus fusiùs solvatur. Ex his optima videntur sales quidam medii, oleum rici-

ni,

ni, pulvis rhei, aut jalapii, cum calomelane commistus. Attamen si adsit febris, nauseâ præsertim molestâ stipata, remedia ad vomitum citò ciendum dare oportet. Per duos tresve dies repetenda sunt purgantia, quibus, ut plurimùm, maximum afferetur cruciatibus ægri levamentum. Cùm ita se res habet, opium adhibere proficiet. Antequam autem intestina probè purgata fuerint, minimè proderit. Ab hoc enim perperàm et prœmaturè adhibito, pertimescenda sunt plurima mala; dysenteria scilicet diuturnior, inflammatio intestinorum gravior, et tympanites *. Si post purgationem ter quaterve repetitam, perstent aut redeant tormina et cætera, enema opiatum ex amylo injicere conveniet, purgantibus subindè repetitis. His quoque tormentis sæpè subveniunt fotus ex aquâ calidâ, abdomini per horæ spatium, bis terve in die admoti. Si verò, alvo per plurimas vices solicitatâ, parùm vel minimè minuatur morbus, ad aliam quandam rationem medendi animum

* Pringle, *Army Diseases*, loco citato.

advertere decet. Plurimis remediis in hâc morbi formâ usi sunt medici. Horum opium et ipecacuanha præ cæteris laudata sunt. Hæc in parvis portionibus ter quaterve in die adhibita, sæpenumerò felices edit effectus, præsertim si eodem tempore alvus aptis resolvatur remediis; et si, prout vexent tormina et tenesmus, fotibus et enematibus ex opio cruciatus levare conemur. Summo quoque studio ad victum vestitumque ægrotis simul spectandum est. Victu enim simplici, miti, parciori, uti debent dysenterici. Indusium laneum præcipiendum, semperque cavendum est ne unquam cœlo varianti, humido objiciantur.

Magnoperè profectò *opium* ad quædam levanda mala confert; minimè verò huic soli confidendum est medicis. In tenesmum potissimùm valet, in tormina quoque, si aut enematis formâ, aut quàm citissimè post purgantium effectum adhibeatur; nunquam autem, vigente malo, adhibendum est, nullo alio aut præcedente aut comitante remedio.

Medicamentum

Medicamentum autem cui fidentiùs innitamur, *hydrargyrus* videtur, quod præcipuè a medico insigni Clark laudatum est. Si paulò diutiùs perstent excretiones pravæ, ad hoc illicò confugiendum est. Calomelanos, ut plurimùm, grana tria nocte, et duo sequenti mane, sufficient ad alvum modicè solvendam, itemque citra dolorem. Si verò calomelas tormina augeat, vel nauseam excitet, opii granum noctè, aut dimidium granum singulis portionibus adjicere conveniet. Hæc insistenda est ratio medendi, donec fœtor oris sentiatur, et levior gingivarum efficiatur inflammatio. Hi cum effectus adsunt, omnia sæpissimè levantur morbi symptomata: observârunt autem ill. Clark, aliique, eodem remedio usi, haud pares consequi successus, ore sano restante; quo scire licet hydrargyrum non in hoc vitium valere, intestina sola purgando. Interdum quidem unguenti formâ idem subministratum novi, nunquam verò felici eventu. Attamen an reverà minore polleat virtute unguentum, nequeo decernere,

quippè

quippè qui nunquam hoc modo adhibitum novi antequàm pessima apparuerant signa.

Prosunt nonnunquam post purgationes; si quodammodò leventur mala, non autem prorsùs tollantur, purgantia quædam, et ex his præcipuè *rhæum*, in parvulis portionibus quotidiè assumpta, ita ut leviter excitent alvum et naturales efficiant dejectiones. His per dies quatuor pluresve repetitis, vel quotidiè aliquantum minutis, et cum opii paululâ portione nocte conjunctis, ægrum sæpissimè ad sanitatem perductum vidi. Si sanguis prorumpat, protinùs ad ei obsistendum nos accingere debemus. Summâ opus est quiete, frigoreque levi sed perstante. Excitantia omnia fugienda. Aqua frigida ad abdomen admota, vel in intestina injecta, haud rarò hæmorrhagiæ resistere dicitur. Acidum sulphuricum dilutum, alumen, gummi catechu et kino, magnoperè quoque laudata sunt. Si verò vehementiùs erumpat sanguis, ad sales quosdam metallicos confugiendum est, nempè ad sulphatem ferri vel cupri, vel acetitem plumbi. Ex his postremum solummodò adhibitum

hibitum novi. Dysenteriâ per plurimos dies laboranti accedit hæmorrhagia vehemens ab intestinis, quæ brevi cohibita fuit, datâ ter in die acetitis plumbi quartâ parte grani. Haudquidquam mali hujus usui subsecutum est.

In vesicæ mala plurimùm valent balnea tepida, quibus nonnunquam sufficiuntur calidi fotus, vel enemata calida, non verò pari successu. Sanguinis forsan detractio a perinæo, et enemata opiata, ad hoc malum compescendum aliquantùm proderunt.

Fasciæ e panno laneo confectæ, arctiùs abdomini applicatæ, magnoperè a quibusdam laudantur. Talibus remediis nil jure quidem objiciendum est; ast dubitandi est locus, an plus valeant hæc quàm vestitus laneus simplex. Cum fructu utrosque applicatos vidi.

Remedia suprà numerata dysenteriæ simpliciori, itemque chronicæ utriusque generis, aptiora sunt. Si adsit febris ardentior, vena protinùs, et iterum forsan, inter mali initia secanda est. Emeticum quoque, purgantia, cum enematibus emollientibus, balneo tepido,

tepido, fotibus, sedulò adhibenda sunt. Accedente debilitate vel minitante grangrænâ, roborantia quædam, vinum et quæ sunt generis ejusdem, cautè et parcè primò, deinde liberiùs adhibere licet. Vesicatoria forsan ad abdomen tumidum, dolens, applicata quodammodò proficient.

In morbo febri typhode adjuncto, typhi remedia sunt adhibenda. Ineunte malo, si ventriculus laboret, emeticum subministrandum est; purgantia nunquam prætermittenda. Si his parum levationis afferatur, et morbus sit diuturnior, hydrargyrus, et in hocce exemplo cum fructu, aliquando adhibitum fuit. Acida, in hâc morbi formâ, sive sint fortiora diluta, sive acetum, sive acidi fructus, plurimùm valere, a Clark aliisque fertur. Acida omnia verò, pessimos edunt effectus in eos qui, dysenteriâ jam decedente, intestina irritabilia habent.

De dysenteriâ intermittente curandâ, nil mihi dicendum est. Quædam exempla describit Clark a cinchonâ sanata. Rarissimè verò, eodem

eodem teste, prodest in hoc morbo cinchona.

In omni dysenteriæ varietate, summâ munditie opus est, tum ipsius ægroti, tum ministrorum causâ.

FINIS